

Petrus de Vinea

*Ep. VI 20 (Illa fruimur
ex Imperii dignitate...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 20 (Illa fruimur
ex Imperii dignitate...)*

1247?

Fridericus recipit quemdam in suam gratiam, quem necessitas olim in rebellione tenuerat.

1. Illa fruimur ex Imperii dignitate mansuetudine ac prerogatiua uirtutis, ut, quia nisi culpa precederet, locum uenia non haberet, quacumque hora subditus ad fidem nostram conuersus fuerit, patulis brachiis recipiamus eundem, obliti preteritae culpaе suae. 2. Cum igitur ad notitiam nostram peruenerit N. de..., quem necessitas olim in rebellione tenuerat potius quam uoluntas, ad fidem nostram cum omni deuotione fore conuersum et in gratiam nostram recipi perpensius implorantem, aures benignas implorationi suae duximus apponendas: et meritis suae bonae conuersationis inducti, eum cum ... castro, terra, familia et bonis suis omnibus, tam stabilibus quam mobilibus, in nostrae gratiam recepimus maiestatis. 3. Offensas omnes et culpas, quas erga nostram excellentiam et fideles nostros uerbo et opere potuit hactenus commisisse, sibi et heredibus suis misericorditer indulgentes, dummodo, quod incepit uerbo, opere fideliter prosequatur, et in nostra deuotione persistens, se nostris seruitiis exhibeat gratiorem cotidie per effectum. 4. Vniuersitati fidelium presenti scripto mandantes, quatenus eum tamquam fidelem teneant et in omnibus conseruent indempnem, et nullus sit, qui ipsum aut heredes suos in fide nostra constantes aliquatenus in personis uel rebus molestare presumat. 5. Quod qui presumpserit, et cetera.